81

METHODVS FACILIS

VERAM ECCLESIAM LVMINE RATIONIS INVENIENDI ACATHOLICIS PROPOSITA

1872

A quodam Caluiniſta, ſeu Reformato, per Dei Miſericordiam infinitam in gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ nuper reducto.

Non eſt volentis neq; currentis, ſed Miſerentis Dei.

Quod mihi ſecundum ipſorum Caluiniſtarum ſeu Reformatorum principium ex Eccleſia Reformata egredi liceat.

REformati dicunt, ſe ſoli Sacræ Scripturæ nullis traditionibus, aut hominum inſtitu-

tis fidem adhibere. Ideo Reformator Caluinus, aùt quisquis ille fuerit Sacram Scripturam cæpit examinare, nulla traditionum, aut consuetudinũ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ex qua egrediebatur, habita ratione; & ita ex Sacra Scriptura determinauit Dogmata Fidei. Iàm quero, vtrum ista Dogmata Fidei ità sint credenda vnicuiquè Reformato, pro ùt à Reformatore, aut Reformatoribus determinata proponuntur, an verò vlteriori examine opus sit, vt quis illa amplectatur. Si primum dicatur, ergò Reformatoris, qui homó fuit, institutis, ab eiusdem

dem ſucceſſoribus traditis fides adhibenda eſt : quod repugnat Reformatorum Poſitioni. Si alterum aſſeritur, infero mihi liberum igitur eſſe Dogmatibus Fidei à Reformatore propoſitis aſſenſum denegare, ſi eadem meæ Sacræ Scripturæ interpretationi non conuenerint (aliàs enim vlteriùs iſtud examen prorsùs inutile foret) & conſequentèr me ex Reformata Eccleſia poſſe exire.

Quod ex Ecclesia Reformata egredi debeam.

CVm probatum sit me secundùm ipsorum Reformatorum principium ex Ecclesia Reformata posse egredi, & tamen prætendant Reformati Ecclesiam suam veram Ecclesiam esse, omnesque alias plenas esse erroribus, operationem salutis impedientibus: dico illos non rectè sentire. Consequentia enim ex illorum principio ritè deducta contradicit directè opinioni, quam ijdem de veritate Ecclesiæ suæ fouent. Et quia in nulla Doctrina contra-

traditio vel minima potest admitti, sequitur, aut principium Reformatorum esse falsum, aut Reformatam Ecclesiam veram Ecclesiam non esse, adeoque Reformatorum doctrinam, & ipsam Caluini Reformationem non esse à Deo. Cumque non sint à Deo, clarum est, me post cognitam hanc veritatem amplius illis assentiri non debere, seu quod idem est, me ex Ecclesia Reformata debere egredi.

Quod nequeam transire ad Ecclesiam Lutheranam, vel ad Arminianam, Socinianam, Anabaptistarum, aliarumue similium vllam.

OMnia hæc variarum societatum, Christi nomen profitentium, sed inter se inuicem circa articulos Fidei discrepantium, & se inuicem damnantium, capita, vti Lutherus, Arminus, Socinus, Menno, reliquique, quorum vnusquisque aut verus Reformator Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, aut alicuius iam ex eadem Reformata Ecclesia vult haberi, eodem principio,

pio, quo & Caluinus vſus eſt, vtuntur, ſcilicet ſoli Sacræ Scripturæ nullis traditionibus, aut hominum inſtitutis fidem adhibendam eſſe. Et ſic eodem modo eadem, quæ de Caluino, eius Reformatione, & Eccleſia Reformata probauimus, applicanda ſunt Luthero, & vnicuique reliquorum Reformatorum, eorumdem Reformationi, & Eccleſijs, quas ſinguli formauerunt. Patet igitur me ad nullam harum Eccleſiarum poſſe tranſire.

Quod ego nouam Reformationem facere non possim.

CLarissimum est ex præcedentibus; nam de me, in numero reliquorum iam dictorum Reformatorum constituto, & eodem, quo illi vsi sunt principio vtenti, idem prorsus, quod de illis dictum est, asserendum esset.

Quod extra omnes Ecclesias visibiles manere nequeam velut membrum alicuius Ecclesiæ inuisibilis, sed membrum debeam fieri alicuius Ecclesiæ visibilis.

PRobatum est, nullam cuiusuis Reformationē esse à Deo, & me nouam Reformationem incipere non posse. Si aliquis ergò iam mihi fortè dicat, me posse salutem meam operari, extra quamcumque societatem, vel Ecclesiam Christi nomen profitentem, constitutum, modo Christianus sim. Ipsum rogo qua auctoritate illud assu-

met? respondebit se illud ex Sacra Scriptura probare. At ego regero, me ipsius opinioni assentire nec posse, nec debere, quoniam mea Sacræ Scripturæ interpretatio ipsius interpretationi directè contraria est.

Quod reuerti debeam ad Ecclesiam Catholicam Romanam, scilicet illam, ex qua omnes dicti Reformatores vel mediatè, vel immediatè prodiere.

CLarissimè deducitur ex eo, quod neque Reformatio Caluini, neque illa Lutheri, neque Arminij ne-

neque Socini, neque Mennonis, neque reliquorum vllius sit à Deo, neque ego nouam Reformationem facere possim, & tamen membrum debeam fieri alicuius Ecclesiæ visibilis; me reuerti debere ad illam Ecclesiam, ex qua omnes dicti Reformatores vel mediatè, vel immediatè recessere: quæ quidem Ecclesia, omnium illorum consensu est Ecclesia Catholica Romana, & ex hisce omnibus concludo.

Catholicam Romanam Ecclesiam veram Ecclesiam esse, neque debere in eadem semper manere, & firmiter credere omnia illa, quæ

quæ eadem mihi credenda proponit.

SOLI DEO GLORIA.

NE autem quis cogitandi ansam arripiat, me sola hac ratiocinatione (quamuis sola sufficere meritò posset) compulsum esse ad amplectendam Fidem Catholicam; necessarium duco, ex medijs, quibus Deus vti voluit ad mei conuersionem, præcipua innuere potiùs, quam explicare (omnia Deo volente maiori cum otio accuratius, & pleniùs descripturus) vt vobis pateat, quam singularibus, & diuersis modis

dis

dis Deus ſuos ad ſe trahat, indeque occaſionem nanciſcamini mecum Diuinam gratiam pro vobis ipſis ad eundem effectum implorandi, eaque accepta, non deſinatis quoque mecum Deum ſuper tam ineffabile beneficium glorificare. Aliquot annos Deum Optimum Maximum ex toto corde oraui, vt mihi oſtendere vellet vias ſuas, in quibus, vt ipſi rectè ſeruirem, mihi ambulandum eſſet, fortitudinemque, & conſtantiam in ijſdem perſiſtendi mihi largiri, atque me magis, ac magis à mundo abſtrahere dignaretur. Sic euenit, vt exiſtenti mihi

hi Romæ, (quo peruenerant tenebris horrendis, & erroribus abominandis, scilicet, Papam Romanum Antichristum, omnesque Ecclesiasticos eius instrumenta esse, & similibus inuolutus, obduratusque maiori quàm Caluinismus suggesserit vnquam, contra Catholicos auersione, & odio) in manus inciderit, annus circiter agitur, quidam liber Gallico Idiomate conscriptus cui titulus erat.

La Perpetuité de la Foy de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie defendue contre le liure du sieur Claude Ministre de Charenton.

Quò

Quo lecto conuictus in me ipso remãsi veritatis Fidei Catholicæ, ea tamen conditione, vt si Prædicantes Caluinistæ, seu Reformati, mihi in Patriam reuerso, plenam dicti libri refutationem poponere potuissent, à Fide Catholica amplectenda abstinerem; sin minus, incontinenter me in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ proijcerem; ioterea mecum deliberans, an non tenerer subitò cum meis Parentibus de occasione meæ dubitationis circa veram Religionem per litteras conferre, & eiusdem solutionem à Prædicantibus ex-

cepi, ſpiritualiumque mihi videbar ſuffundi torrente cogitationum. Hæc animi commotio multum incrementi cæpit, dum ad Arcam eiuſdem Sancti iterum Deum orabam, conſiderabamque miracula ſua vndequaque illic in marmore expreſſa, rursùſque alacriter excreuit, perſpecta Templo contigua ſchola, quam eiuſdem Sancti nominant, vbi inter alia Sancti Miracula particulariùs annotaſſem illud, quod ibidem de proſtratione Muli ante Sanctiſſimum Altaris Sacramentum depictum eſt. Ex inde tam viuam illuminationem, & perſuaſionem

in-

internam de veritate Fidei Catholicæ percæpi, vt sequenti mane Patauio discedens, ad iter meum per Lombardiam prosequendum, & sequentibus diebus donec Mediolanum peruenerim, nihil aliud mente voluere, nihil aliud cogitare potuerim, quam nunc meas preces à Deo exauditas esse, qui tam sensibili modo me ad veram Fidem, mediante suo GLORIOSO ANTONIO, de quo Sancto in tenebtis adhùc versatus pessimè sensera, vocaret. Tam constans, & vehemens ista persuasio fuit, vt paupertatem, & reliquas mundi aduersitates,

tates libenter, si opus fuisset, ad nominis Domini nostri Iesu Christi in Ecclesia Catholica Romana faciendam professionem, sustulissem; multaque iam circa conuersionem meorum, & de vita mea in posterum instituenda cogitauerim, cum resignatione tamen meæ ad Diuinam voluntatem. Hæ cogitationes, vti dixi, continuè mentem occuparunt, donec Mediolanum peruenerim, in qua Ciuitate loca, Templaque, vbi Sancti Augustini conuersio contigit, & idem Sanctus Fidei Catholicę professionem S. Ambrosio exhibuit, incredibili eum con-

solatione lustratus sum, & tanta pariter cum admiratione, vt vix mihi imaginari potuerim, quomodo aliquis hæc omnia perspiciens, & perpendens extra Catholicam Ecclesiam manere possit, aut audeat, ita vt hinc magis confirmatus fuerim, cogitationes, quas in via habueram, verè à Deo prouenisse.

Mediolano abiens per Liguriam in Etruriam perrexi, visisque ibi Pisis, Liburnio, & Lucca, quotidie Deo gratias agens pro tam incomprehensibili beneficiorum cumulo, ab ipsius Misericordia infinita mihi cõcesso, & orare perseuerans,

vt

vt mihi particulariùs adhuc Sanctissimam voluntatem suam patefacere dignaretur, perueni Florentiam, sed alijs cum finibus, alia cum intentione, quàm Maiestati Diuinæ placuit. Decreueram enim apud me *ipsum illic tempus optimo* secundum mundi sententiam modo consumere; & Constantinopolim cum Smirnensi classe proficisci, putans me fat acturum, si interim à Domini manu ex hac vita abreptus: antequam publicam professionem Fidei Catholicæ feciſsem, quam demum post duos, aut tres annos in Patria facere statueram, nem-

pè vt oſtenderem me priùs Patriç meæ aliquo in munere ſeruire, Parentibuſque in omnibus obſequi voluiſſe (notate aſtutiam ſubtiliſſimam communis inimici, qui ſe aliquando in Angelum lucis transformat) & hoc pacto plures animas per Dei gratiam ad veram Fidem perducere potuiſſem, ſuſpirare tantum ad Deum poſſem. Domine miſerere mei, contritionem veram habeo meorum peccatorum, mori volo, & morior in Eccleſia Catholica Romana, quam veram tuam Eccleſiam eſſe tibi confiteor, & ſi Pater ſpiritualis accerſiri poſſet, ipſi eadem con-

confiterer. Tranſacto igitur ita circiter menſe vno Florentiæ, caſu neſcio quo, ad virum quendam ex Lutherano Catholicum, cui Deus in rerum tàm naturalium quàm diuinarum notitia ſingulares gratias fecit, perueni, cumque de varijs rebus, nihil ad religionem ſpectantibus, habito colloquio, récolligens ipſum certam Epiſtolam alicui Philoſopho in noſtris partibus perſcripſiſſe, de qua multa illo tempore audiueram, curioſitate captus ſum illum de hac aliqua interrogandi, eodemque tempore ſciendi, quibus ille ductus rationibus ad Catholi-

cos accesserat, nondum tamen ipsi meas cogitationes circa religionem apertè significans. Hæc omnia ille mihi tàm amicè, & tàm Christianè explicuit, vt hunc illum esse, cum quo de omnibus, quæ mihi circa eadem acciderant, conferre commodè possem, iudicauerim. Atque ita ille aliquas difficultates, quæ de nouo mihi obuenerant, ex eo quod omnia accuratiùs, quàm nunquam antea feceram, cæperam examinare, soluit, mihi suadens interim, vt recordatus quinque vulnerum Christi, quinquies ad Deum in dies suspirarem de venia meo-

rum

rum commissorum peccatorum, cum verò illorum dolore, & firmo proposito prius mitties mori, quam de nouo deliberatè Deum offendere. Hoc obseruans pro mea imbecillitate, vberem cum Dei gratia in spiritualibus profectum breui feci, ac idcirco vobis omnibus idem confulendo obligatum me credo; sed vt nullius dictis fidens neque Caluinistarum, neque Catholicorum, & abstrahens ab instinctu Diuino, de quo antea egi, experirer, an non breui, & succincta Analysi veritatem Fidei Catholicæ inuestigare possem, isti operi

me accinxi, illamque quam vobis ſupra propoſui Methodum ad eandem veritatem euincendam facilimam inueni. * Non obſtantibus omnibus iam dictis argumentis, quæ mihi validiſſima videbantur, & licet perſuaſus de veritate Fidei Catholicæ diù fuerim, mira res eſt, duriſſimum tamen mihi videbatur tranſitum tanti momenti facere; & aliquando mihi maximam vim inferri putabam, vbi credidi me diutius profeſſionem Fidei Catholicæ publicam diferre non poſſe; Mœrore tunc amariſſimo animus angebatur, momento poſt ſuauibus, dulciſſimis, pla-

placidis, & tranquilissimis cogitationibus mens sum-mè gaudebat impatiens horæ, quame Catholicæ Ecclesiæ membrũ gloriari possem, totaque Amore Dei, & proximi accensa. Quæ animi lucta interna cum aliquot dies perduraret, manifestè cognoui, eam esse inter carnem, & spiritum, inter cogitationes à diabolo, & à Deo venientes. Sic itaque tandem mihi ipsi dixi cum Diuo Augustino: Quid in te stas, & non stas? Proijce te in Deum, noli metuere, non se subtrahet, vt cadas. Proijce te securus, excipiet, & sanabit te. In te Domine speraui non con-

fundar in æternum.

Atque hæc vti dixi ex medijs quibus Altissimus ad mei conuersionem vti voluit, præcipua fuere: quæ forsitan hìc nudè etiam mentibus vestris vno intuitu lustranda subiecisse iuuabit titulo rationum capitalium, quæ me ad Fidem Catholicam amplectendam compulerunt, & ad quas reliquas referre liceat.

Prima est. Dogmata Ecclesiæ Catholicæ Romanæ hodiernæ eadem esse cum Dogmatibus Ecclesiæ Primitiuæ.

Quòd partim ex ipsius Sacræ Scripturæ locis claris euincitur; atque euidentissimè

simè patet ex consensu Sanctorum Patrum, qui primis quinque sæculis vixerunt, quosque Orthodoxos fuisse, & Ecclesiam ab hæreticis repurgasse ipsi Calumniatæ seù Reformati, & Lutherani fatentur. Nec non ex consensu Græcorum, Armeniorum, & Æthiopum illorum, qui sese Ecclesiæ Catholicæ Romanæ subijcere nolentes, eadem tamen, quæ Catholici circa Eucharistiam, intercessionem Sanctorum, Purgatorium, Festivitates, Ieiunia, &c. credunt, & obseruant. Et tandem non obscurè ex antiquis Ædificijs, Templisque Romæ, & complu-

rium aliorum locorum co[illegible]gitur.

Secunda. Doctrinam Catholicam, ab Acatholicis, aut malignè proponi, aut perperam intelligi; vt patet circa cultum Imaginum, Indulgentias, aliaque: Nec non præcipuè elucet ex eo, quod Acatholici Catholicorum quorundam abusus, & vitia, quæ omnia personalia sunt, & ab Ecclesia ipsa damnantur, applicent tamẽ Doctrinæ eiusdem Ecclesiæ, atque multa inepta, falsaque perferant de Ecclesiasticis personis in genere, & de ijs rebus, quæ Romæ notatu digna occurrunt.

Tertia. Vitam Catholi-

co-

corum, & extrinsecùs, & intrinsecùs meliùs, sanctiùsque esse compositam, quam vitam Caluinistarum, Lutheranorum &c. quo referendæ sunt Sanctorum vitæ admirabiles, miraculisque innumeris decoratæ, ac conuersiones subitaneæ, & extraordinariæ Catholicorum omnia propter amorem Dei, & ipsius seruitium relinquentium &c.

Quarta. Diuinus instinctus, quo complector has animæ commotiones, illuminationes, & persuasiones internas, quas infinita Dei benignitas, & misericordia in me primùm excitare voluit per Glorioſum

suum

ſuum S. ANTONIVM DE PADVA, de quo Sancto antea in tenebris adhùc verſatus peſſimè ſenſerã, & illas, quas poſtea varijs occaſionibus, & varijs in locis percepi.

Quinta. Illa ratiocinatio, quam vobis ſupra propoſui; vti & quædam alia argumẽta eiuſdem ferè naturæ, quæ, dum methodo dicta vtebar, mihi inciderunt, & quas nimis prolixum foret hic commemorare.

Sexta. Quod longum tempus Deum Opt: Max: ex toto corde oraueram, vt mihi oſtendere vellet vias ſuas, in quibus mihi, vt ipſi rectè ſeruirem ambulandum eſſet, fortitudinẽque, & conſtan-

ſtãtiam in ijſdem perſiſtendi mihi largiri, atque me magis ac magis à mundo abſtrahere dignaretur, ac rationes haberem validiſſimas, & ſufficientia ſigna interna credendi firmiter me eſſe à Deo exauditum.

Septima. Omnes dictas rationes inſecuta in me violenta inter carnem, & ſpiritum lucta, & ex eadem manifeſta dignotio ſpirituum diuerſorum ſibi inuicem cõtrariorum. Vide ſupra ad ſignum *

Omnia hæc adhuc clarius de die in diem ſentio, percipio, intelligo, comprehendo, tamque tranquillo ſum animo, vt ex innumeris tribu-

bulationibus, quibus fortè Dominus me visitabat, mihi videar maiorem, ac maiorem consolationem, & lætitiàm cum ipsius Dei gratia percepturum, omniaque pati propter Christum, & Fidem Catholicam sim paratus. Vobis omnibus eandem gratiam ex toto animo precor cum rectitudine voluntatis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Amen.

Florentiæ XXX. Iulij M.DC.LXXV.

Vidit Andreas Baba P.C. & cum originali manuscripto diligenter collationauit.

9 N956